



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

373. An, & quâ licentiâ egeant Episcopi, iisque superiores, aut in jurisdictione similes Prælati abfuturi ultra tres menses ipsis concessos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

detur: Engels *loc. cit. nu. 6.* inquit, existimare se, hac in re, utpote dubia, consuetudini locorum aliquid tribuendum. Et sane per legitimam consuetudinem, non obstante tali declaratione S. Congregationis, posse derogari similibus, quæ sunt meri juris humani, modò non reputetur, & sit corruptela, videtur satis certum, vide dicta ad *quest. preced.*

3. Atque juxta hanc sententiam inferes primò à potiori, opus non esse consensu Episcopi, dum subita occurrente necessitate, Episcopus adiri nequit. Azor, *loc. cit. q. 11. ex Selva de benef. p. 4. q. 6. n. 13.* citante Abbatem, Hostiens. &c. Secundò citatos AA. id multo magis dicturos de Abbatibus similibusque Prælati, Episcopo inferioribus non exemptis, utpote quorum dignitas major, & absentia non tam periculosa, sicut Parochorum, quibus quotidie incumbit obligatio sacramenta petentibus, & indigentibus administrandi. Engels *loc. cit.* Quòd si verò vera est sententia prior, sequitur primò, curatum, etiam si habeat notoriè justam causam & necessitatem recedendi, adhuc non posse sine licentia Ordinarii recedere, nisi talis sit necessitas, quæ non patiarur moram, sed sit periculum in mora petendi veniam, & tunc quamprimum debere certiorum fieri Ordinarium de discessu, & necessitate occurrente, ut de causa cognoscat, & det licentiam, nisi in brevi sit reversurus. Garc. *loc. cit. n. 33.* citans Abbat. in *c. relatum. de cler. non resid. n. 6.* Selvam &c. item S. Congregationem iisdem fere verbis id declarantem. Videtur secundò, Parochum habentem justam causam recedendi ad duos vel tres menses, non satisfacere conscientia suæ, si petat licentiam, jurans se habere gravem causam, quam non expediat manifestare: vel etiam exprimens causam rationabilem, quam vir bonus & æquus justam judicaret, dum rigidus Ordinarius licentiã negat, quia movetur suspitione, quòd ficta sit, habet tamen recursum ad superiorem, hanc esse expressam declarationem S. Congregationis, refert Garc. & eidem inhæret *n. 73.* citans AA. *ubi supra.* Sequitur tertio, quod, qui per duos vel etiam unum mensem, aut aliud tempus notabile abfuit sine licentia Ordinarii, pro tempore absentia non facit fructus suos, sed tenetur eos restituere; eò quòd abfit contra tenorem decreti imponentis hanc pœnam. Garc. *num. 25. & seq.* neque sufficit licentia tacita, sed oporteat, ut sit expressa. Garc. *n. 35.*

Questio 373. An, & qua licentia egeant Episcopi usque superiores aut in jurisdictione similes Prælati absuturi ultra tres menses ipsi concessos?

Respondeo: Episcopus (idem est de aliis) qui ex causa magnæ necessitatis aut utilitatis longiori tempore abesse cupit, debet causam absentia Papæ, vel Archiepiscopo metropolitano, aut hoc absente, seniori suffraganeo (qui idem metropolitani absentiam probare debet) significare, & approbationem in scriptis obtinere, nisi tamen periculum in mora fuerit. vel absentia inciderit propter munus aliquod, & reipubl. officium Episcopatus adjunctum, cujus causæ sint notoriæ. *Trid. sess. 6. c. 1. & sess. 23. c. 1.* Hinc Episcopus, qui simul est Princeps imperii, dum ad comitia vocatus comparet, non tenetur licentiam impetrare, saltem si absentia non fuerit plus æquo

P. Leuren. Fori Benef. Tom. I.

diuturna, & Ecclesiæ periculosa, & aliàs semper solitus sit personaliter comparere, qua tamen in re ad usum hætenus practicum in similibus Episcopatus præcipue attendendum. ita fere Engels *loc. cit. sub initium.*

Questio 374. An, & qui præter Papam aliis curatis inferioribus dare possint licentiam non residendi etiam ultra bimestre?

Respondeo primò: jus ipsum commune. quemadmodum vi juris antiqui concessum erat Parochis & curatis abesse ad quinquennium ratione studiorum. *c. ult. de magistris.*

2. Secundò Episcopi similesque Prælati dare possunt curatis licentiam non residendi ad tempus ex justa causa, quatenus hoc ipsum iis à jure aut Papa concessum est; inferior enim laxare nequit legem superioris, nisi quatenus id ei concessum; solet autem Papa propter necessitatem, & casus frequenter occurrentes facultatem laxandi legem, seu obligationem residendi concedere Episcopis, aliisque similibus Prælati in beneficiis curatis non nisi limitatè, ut nimirum curati non permittantur abesse ultra dictos duos menses, nisi ex gravi causa. *Pirh. ad rit. de cler. non resid. n. 14.* de cetero tempus breve, in quo Episcopus cum curato super residentia dispensare potest, relinquendum est arbitrio boni viri, cum in jure non sit expressum, juxta exigentiam necessitatis, seu rationabilis causæ. *Pirh. ibid. citans Laym. ad c. licet de elect. in 6. n. 2.* Qui etiã addit, quod hoc tempus videatur restrictum ad annum in *Trid. sess. 4. c. 12.*

3. Tertio: idem potestatis hac in parte habet legatus Pontificius in provincia sibi demandata, quòd Episcopus in sua dioecesi. Azor. *loc. cit. q. 2. ex Selva p. 4. q. 9.*

4. Quarto: Capitulum sede Episcopali vacante, cum in iis, quæ sunt jurisdictionis non voluntariæ, sed necessariæ, potestas Episcopi transeat ad capitulum. Azor. *ibid. q. 3.* Selva, *q. 10.* Abb. in *cit. c. relatum.*

5. Quintò: posse locorum Ordinarios (intelligendo per Ordinarium Superiorem, sive majorem sive minorem Episcopo. ut *Gl. in c. licet canon. de Elect. in 6.*) facere Parochis potestatem ad tempus aliquod recedendi à suis Ecclesiis, tenet Azor. *loc. cit. q. 4.* citans Abbatem, Host. Innoc. in *c. relatum.* Si verò Prælati inferior Episcopo non habet jurisdictionem ordinariam in loco v. g. Abbas regularis aut Prælati, seu Rector Ecclesiæ Collegiata, etsi habeat quidem potestatem conferendi Parochiam, vel aliud beneficium curatum, provifus tamen seu curatus jurisdictioni Episcopi subfit, & ab eo circa administrationem, & curam parochia pendeat, tunc ab eodem Episcopo licentiam petere debet, & si illegitimè abfit ab eodem puniri. *Pirh. loc. cit. 43.* Addit Fagn. in *c. relatum. de cler. non resid. n. 4.* quod Prælati Episcopo inferiores nequeant dare licentiam discedendi ab Ecclesia, vel loco beneficii, nisi habeant jurisdictionem ordinariam, & quidem exclusivè Episcopo.

Questio 375. An dum jus ipsum, vel etiam Papa generaliter indulget curato abesse studendi gratia (idem est de aliis honestis causis. Lott. paulò post citand. Garc. n. 89. & 96.) adhuc hæc causa insinuari de-

M

beat